



CONGREGATIO GENERALIS LXXXVII

24 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur congregationem generalem 87 hodiernam em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Audiatis, Patres venerabiles! Terminus pro exhibendis summariis circa schema *de divina revelatione* statutus est pro crastina. Attamen, cum disceptatio fiat per tres partes, prouti iam dixi, statuerunt em.mi moderatores hunc terminum intelligendum esse pro prima parte, nempe pro prooemio, cap. I *de ipsa revelatione*, et cap. II *de divinae revelationis transmissione*. Termini pro aliis duabus partibus ita statuuntur: summaria interventionum pro secunda parte, scil. pro cap. III *de Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione*, exhibenda sunt intra feriam II proximae hebdomadae, nempe intra diem 28 huius mensis. Summaria demum interventionum circa cap. IV *de Vetere Testamento*, cap. V *de Novo Testamento*, cap. VI *de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*, exhibenda sunt intra feriam IV proximae hebdomadae, nempe intra diem 30 huius mensis.

Die 30 huius mensis, uti iam nuntiatum est, fiet suffragatio de integro cap. III schematis *de Ecclesia*. Suffragatio fiet, uti iam nostis, per *placet, non placet* et *placet iuxta modum*. Velitis, Patres venerabiles, si habeatis forte, modos tempore praeparare, et ratione quam dixi, nempe: diversi modi in diversis foliis, unusquisque modus in unoquoque folio, ita ut commissio competens possit facile modos seligere et examinare.

Eadem die 30 huius mensis, post suffragationem integri cap. III, fiet suffragatio cap. IV, V et VI schematis *de Ecclesia*, uti potestis videre etiam in illo libello qui inscribitur « Ratio suffragandi etc. » [*cf. vol. III, pars I, p. 396*]. Etiam quoad haec capita suffragatio fiet ex formulis *placet, non placet, placet iuxta modum*.

Cap. VII et VIII schematis *de Ecclesia* iam examini subiciuntur commissionis doctrinalis, et spem fovemus fore ut quam citius, sed debita consideratione, nostro iudicio, nostrae suffragationi eadem capita subiciantur, eadem capita correctata et emendata iuxta interventiones in hac aula auditas.

Nunc lego, Patres venerabiles, nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa schema *de Oecumenismo*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Michaël Browne; exc.mi



DD. Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Henricus Nicodemo, arch. Barenensis in Italia; Ioseph Lopez, ep. Tudensis-Vicensis in Hispania; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Ioannes Canestri, ep. aux. card. Vicarii in Urbe; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania; Marcellus Lefebvre, sup. gen. Congregationis Sancti Spiritus; Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae; Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Petrus Nierman, ep. Groningensis in Hollandia; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus in Gallia; Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Ubaldu Cibrian, ep. prael. null. Corocorensis in Bolivia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Carolus Alter, arch. Cincinnatensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Anicetus Fernandez, mag. gen. Ordinis Praedicatorum; Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia.

Et lego, Patres venerabiles, textum suffragationis XIX. Nam etiam hodie continuatur suffragatio circa cap. III *de Ecclesia*. Videatis paginam 12. Suffragatio XIX [*cf. vol. III, pars I, pag. 403*]. Placetne an non placet hic textus?

PATRUM ORATIONES

(*De libertate religiosa*)

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG

Archiepiscopus Vindobonensis

Patres venerabiles,

Schema revisum omnino placet in genere, sed dum in schemate exponitur, a Concilio sincere defenditur libertas religiosa, mihi quoque videtur Concilium silere non posse de illo facto tragico quod existant populi, in quibus nulla vera libertas religionis adest, ubi rei publicae moderatores atheismum materialisticum ex officio promovent et ei solo libertatem concedunt, ubi libertas religionis concipitur tamquam liberatio ab omni religione...¹

Dum certa libertas cultus, sed non religionis, conceditur — libertas



cultus, id est functiones religiosas in ecclesia peragi possunt in quantum adhuc sacerdotes adsunt — instructio catechetica iuventutis tamen, educatio religiosa usque ad aetatem *maioritatis*² aut impeditur omnibus mediis communicationis socialis et oppugnatur secundum principia dialectici materialismi, aut omnino interdicitur et ut delictum secundum legem punitur. Quod ceteroquin aperte contradicit declarationibus Nationum Unitarum de iure hominum ex die 10 decembris anni 1948.

Hoc modo in istis populis duae classes civium creantur: ii scil. qui atheismum secundum principia materialismi dialectici profitentur et aditum ad munera altiora habent; et ii, qui Deum colunt aut religionem profitentur et ideo excluduntur a muneribus altioribus et diversis iuribus in vita civili privantur.

Haec facta omnia ex documentis authenticis in appendici *quem trado*³ abundanter probantur.

II Pars. Talis modus agendi qui his factis manifestatur, peccat:

1. contra tolerantiam sinceram, quae a Concilio defenditur, ab hominibus religiosis et cultis in diem magis agnoscitur quoad societatem hodiernam pluralisticam. Agitur autem de tolerantia quae non ex indifferentismo procedit sed ex respectu pro decisione personali et intima in re religiosa.

2. Talis modus agendi peccat contra principia scientifica; nam nihil magis antiscientificum est quam convictiones et persuasiones oppositas aliorum opprimere sive vi physica sive *imprimis*⁴ vi administrationis civilis et omni medio rei publicae omnipotentis. Et illi, qui aliis prohibent, quominus suam convictionem personalem, suam fidem religiosam manifestent, isti seipsos infallibiles proclamant et creant intolerantiam atheisticam, quae peior est quam ulla *intolerantia*⁵ religiosa umquam fuerit.

3. Talis modus agendi vitae sociali damnum infert, quia interdictio libertatis religiosae non parvam partem uniuscuiusque populi, i. e. eorum cor, a rei publicae moderatoribus avertit, et timore afficiuntur, qui secundum suam doctrinam confitentur dare Caesari quod Caesaris est. Repelluntur ii qui pro societate civili cooperari volunt, quorum norma pro vita sociali haec est: *scil.*⁶ respectus reciprocus, sinceritas in loquendo et agendo, principia ethica rigorosa secundum quae homo homini frater et amicus est. Cooperatio pro bono communi iis naturalis est, non autem dare animas suas et animas filiorum pro bono temporali.

4. Talis modus agendi offendit *imprimis* dignitatem hominis; nam libertas religiosa est fundamentum libertatis conscientiae. Religio enim in libero intimo assensu consistit. Libertas religiosa est funda-



mentum iurium naturalium hominis. Libertas religionis impedit totalitarismum rei publicae, quia illa libertas religionis includit agnitionem auctoritatem civilem limitatam esse. Vel, a. v., totalitarismus rei publicae civilis eo modo limitatur quo libertas religionis augetur.

*Concludo.*⁷ Quia ergo negatio libertatis religiosae offendit contra tolerantiam, contra scientiam, contra progressum sociale, et imprimis contra dignitatem hominis, rogo instanter ...⁸ omnes ut perpendatur modus opportunus quo Concilium Oecumenicum nomine quodammodo omnium hominum qui *Deum colunt*,⁹ loquatur, opinionem publicam totius mundi excitans, via efficacior quaeratur ut in illis populis dispareat illa anomalia: i. e., atheismus omni privilegio gaudet, religio autem nullum ius habet; ut separetur ratio gubernandi ab atheismo. Ita timor ex cordibus expellitur et fundamentum pacis firmatur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ ubi liberi non sunt episcopi in regendo et docendo, neque sacerdotes in activitate pastorali et activitate catechetica. Ubi numerus clausus pro seminariis a potestate civili adhuc reducitur. ² maiorem.
³ deest. ⁴ deest. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ praesidentes et moderatores, Patres conciliares. ⁹ in Deum credunt.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XX. Paginam videatis 12. Suffragatio XX [*cf. vol. III, pars I, pag. 404*]. Placet an non placet?

2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Declaratio *de libertate religiosa* in praesenti sua forma, *mea saltem sententia*,¹ approbati non potest. Dicerem quoque hanc formam non esse necessariam pro pace et unitate populorum in mundo hodierno.

Fundamentum praecipuum huius declarationis ponitur in iuribus conscientiae rectae humanae individualis. Loquendo in abstracto evidens est iura socialia fundata in conscientia individuali recta sed simul erronea non aequari iuribus *socialibus*² fundatis in conscientia individuali recta et simul vera.

Notae declarationi adiectae affirmant doctrinam hic propositam fundari in illa Summi Pontificis Ioannis XXIII felicitis recordationis in Encycl. Litt. *Pacem in terris* quae sic sonant: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit et religionem privatim publice profiteri ».



Notandum tamen est:

1. Summum Pontificem non dicere « ad *rectae* conscientiae suae normam » sed « ad *rectam* conscientiae suae normam ». Recta autem norma omnis conscientiae, quoad Dei cultum, est ipsa divina lex *circa*³ modum in quo Deus colendus est;

2. Ipsum prae oculis *saltem primarie habuisse*⁴ ius colendi Deum prout istud ius vindicandum est contra Atheismum, circa quod *ius*⁵ nulla conscientia errat.

Summus Pontifex Pius XII in Allocutione ad Praelatos Romanae Rotae an. 1946 enuntiavit normam doctrinalem...⁶ distinctam ab illa quae declaratio proponit circa libertatem conscientiae in societate. Fundatur non in iuribus conscientiae individuae sed in exigentiis boni communis. Verba eius inveniuntur hic citata in Appendice, pag. 38 in fine. Attendenda sunt maxime *illa*⁷ verba quibus clauditur citatio, *ubi dicit*:⁸ « Anzi vi è una tolleranza politica, civile e sociale verso i seguaci delle altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici *un dovere morale* ». Circumstantiae de quibus agitur sunt relationes hodiernae inter homines et varietates communitatum religiosarum in eisdem territoriis civilibus existentium.

*Unde existimo, si bene intellexi, magnam sapientiam esse, in verbis heri pronuntiatis ab em.mo card. Ritter — ut nempe, posset fieri declaratio de libertate religiosa in nostro mundo hodierno, sine inquisitione de omnibus istis basibus quae valde difficiles sunt et valde implicatae*⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ quoad. ⁴ praecipue habere. ⁵ deest. ⁶ aliam. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest.

3

EXC.MUS P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Em.mi Principes, venerabiles Patres,

*Lectio brevis et pacata hac vice!*¹ In priorem textum *de libertate religiosa* iam animadversiones quasdam exhibueram tum commissioni doctrinali tum deinde secretariae generali.

Graviores urgebam tunc difficultates circa duo: nempe 1. quod humana libertas modo adeo absoluto et universali extollebatur ut conditio hominis, qua creaturae, Deo eiusque supremo iuri ac voluntati, non ob-



stante libertate, subiectae, negligi videretur; non enim homo iure seligendi religionem pollet coram suo Creatore; 2. quod divina Ecclesiae incoercibilis missio ad animas Christo conquirendas quasi reticebatur.

In altera autem textus redactione, libenter *et grato animo*² comperio illos defectus sat emendatos esse et non pauca puncta revisa.

At praeterea aliam animadversionem tunc patefeceram de copia rerum in textu congestarum necnon de ambiguitate quarumdam sententiarum ac terminorum. Quae quidem mendae aliquantisper imminutae sunt, sed nondum plene sanatae, quemadmodum quidam Patres heri iam monuerunt.

Etenim nonnullae quaestiones valde apud doctos disputatae, non omnimoda ponderatione et obiectivitate tanguntur, sicut, e. g., quaestio de conscientia relate ad Deum, ad homines, ad Statum, in materia religiosa; de valore obiectivo veritatis ac de errore subiectivo invincibili, de coetibus religiosis Ecclesiae fere equiparatis, de laicitate Status ac de aliis rebus, quae difficultatibus scatent ideoque distincte, exacte et caute pertractandae essent. Silva magna prostat atque valde intricata, in qua diversa elementa permiscuntur, nempe divina et humana, dogmatica, philosophica, iuridica, historica, sociologica, principia theoretica et aspectus practici contingentes.

Iamvero nec necessarium nec utile nec omnino prudens mihi videtur Concilium Oecumenicum in istam asperam ingredi silvam et quasi incerto pede periculose vagari.

In textu non paucae sunt assertiones firmiter validae, commixtae tamen cum aliis propositionibus nonnihil disputabilibus vel ancipiti interpretationi obnoxiiis. Ipse exc. mus relator quarumdam expressionum defectum fatetur.

Quidam vero in ista materia sat peritus, qui multis conventibus internationalibus adfuit, mihi *confidenter*³ suam mentem aperuit anxietate permotam de probabilibus reactionibus schematis apud variarum Nationum Gubernia necnon apud viros doctos. Multae enim vigent dissensiones et aequivocationes in hac materia. Quamobrem tutius mihi videtur textum corripi ita ut nonnisi necessaria et certa principia tangantur, potius assertive quam argumentative, statimque ad aliquam genericam declarationem deveniatur, quae aetatis hodiernae exigentiis digne respondeat (iuxta votum ab em. mo card. Ritter heri propositum), quin Ecclesiam eiusque doctrinam in discrimen adducat.

In concreto textum sic correptum ego praeferrem: Per modum introductionis potiora innuantur principia, quae in ipso textu *sunt et*⁴ fusius exponuntur, videlicet:



1. de dignitate hominis ut Dei creaturae deque religionis legitimitate;
2. de conscientia ac libertate humanae personae;
3. de Ecclesia eiusque divina missione ad Regnum Dei ubicumque instaurandum;
4. de aliis religionibus, quae simul aequae verae esse nequeunt;
5. de conscientiae humanae conditione quoad religionem veram dignoscendam et amplectendam, atque de errore invincibili et bona fide;
6. de hominis iure ac libertate in profitenda sua religione sive individualiter sive collective, sive privatim sive publice;
7. de munere Status in tuenda libera civium conviventia, qui diversis adhaerent religionibus, quin idem Status de singulis iudicet neve impositione aut prohibitione coarctet.

His sobrie et concinne praemissis, adici posset declaratio huiusmodi: « Haec Sancta Synodus, sarta tectaque doctrina de dominio et iure Dei in hominem, creaturam intelligentem ac liberam, necnon de Ecclesiae Christi divina missione Evangelium omnibus praedicandi, at-tenta quoque dignitate humanae personae, quamlibet persecutionem religiosam deplorat atque firmiter ius tuetur, ad conscientiae libertatem in propria religione etiam externe profitenda ac vivenda, quod quidem ius nulla humana potestas compescere aut impedire potest, nisi societatis commune bonum grave detrimentum exinde patiatur ».

Ista vel similis quaedam formula, sive per se solam quasi epigraphice, sive (*si magis placet*⁵) principiis supra delibatis exornata, ad rem sufficere potest, quia Ecclesiae mentem in luce ponit quoad essenziale problema hodie vicens, et quidem ultra tritam illam theoriam, quae multis displicet modernis, de tolerantia religiosa ac de Statu confessionali.

Cetera theologis, philosophis ac sociologis disputanda probe relinquuntur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ deest. ⁴ deest.
⁵ deest.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XXI. Videatis pag. 13 [*cf. vol. III, pars I, pag. 404*]. Placet an non placet?



4

EXC.MUS P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres,

Haec declaratio in genere *mibi*¹ placet. Ad illam perficiendam, liceat mihi duas animadversiones facere:

1. relate ad structuram internam huius declarationis;
2. relate ad ipsam naturam socialem libertatis religiosae.

A) *Relate ad structuram internam. Structura interna debet respondere fini seu proposito huius declarationis.* Qualis est finis huius declarationis conciliaris? Possumus affirmare finem pastorem et oecumenicum, ut Concilii.

Finis pastoralis apparet in ipso subtitulo huius declarationis, nempe: expositio et defensio iurium personae et communitatum ad libertatem in re religiosa. Finis oecumenicus asseritur in n. 25 ipsius textus, lin. 5; libertas religiosa, dicitur, « est conditio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit ». Revera, haec quaestio attingit non tantum Ecclesiam eiusque opus missionarium, sed etiam omnes religiosas confessiones, christianas aut non christianas, totamque humanitatem. Unde haec declaratio debet fieri in suo statu quaestionis, vulgo « impostazione » « planteamiento », attentis finibus pastoralibus et oecumenicis propositis.

Nunc quaeritur: haec proclamatio et defensio iurium personae et communitatum ad libertatem in re religiosa, in quo plano agitur? in plano doctrinali theologico? in plano iuridico?

Si in plano doctrinali theologico proponatur, responsum statuendum et probandum esset principiis doctrinalibus theologis; et stabilita divina revelatione christiana, existimo quod fortasse difficiliter admitterentur ab omnibus membris uniuscuiusque confessionis religiosae argumenta theologica proposita ab Ecclesia catholica. Omnes enim homines credunt bona fide propriam suam religionem esse solam veram. Ideo ut ab omnibus confessionibus religiosis *intelligatur*,² recipiatur et teneatur haec declaratio, meo humili iudicio, tantummodo statui potest in plano iuridico, *in ordine practico*.³

Ex alia parte, de facto, in praxi, problema libertatis religiosae agitur in campo iuridico.

1. Quia problema libertatis religiosae non statuitur coram Deo — homo enim coram Deo nullo iure gaudet, neque obiectivo neque subiectivo autodecisionis in materia religiosa, sed tantum statuitur coram

societate et Statu, ex dimensione sociali vitae religiosae et ex projectione sociali actuum religiosorum. Agitur, igitur, in nostra declaratione de libertate religiosa in vita sociali.

2. Sub aspectu finis pastoralis et oecumenici huius declarationis intenditur pax religiosa in societate quae, de facto, lamentabili quidem, est societas pluralistica in ordine religioso. Inde surgit necessitas ordinationis iuridicae positivae quae in actum redigat seu constituat, tutelam iuridicam iurium personarum et communitatum in re religiosa, mediante quodam statuto iuridico, *saltem minimo*,⁴ ab omnibus hominibus admissio, *tum in ordine nationali tum in internationali*,⁵ fundato a) *iuridice* in dignitate ipsius personae humanae *sicut a Deo creata est*⁶ et in respectu libertatis conscientiae rectae ...⁷; b) *socialiter* in iure et officio auctoritatis civilis statuendi praescriptiones et garantias iuridicas necessarias ad consequendam et promovendam *pacificam cohabitationem et pacem*⁸ religiosam et civilem omnium civium et populorum — *etsi pastoraliter, in libertate religionis seu in necessitate et securitate consequendi libertatem apostolicam Ecclesiae ad perficiendum opus suum missionarium in toto orbe terrarum*.⁹

His de causis existimo opportunum esse addere n. 25 huius declarationis quasdam assertiones relate ad statum quaestionis, *i. e. occasionem*,¹⁰ valorem et finem *pastoralem et oecumenicum*¹¹ huius declarationis *in forma proemii*.¹²

Subnotare autem vellem quod, proposita quaestione in campo iuridico, non requiritur suscitare nec proponere problema de libertate religiosa sub forma dialectica veteris distinctionis traditionalis — *hodie, psychologicae saltem, tam inadaequatae*¹³ — « thesim inter et hypothesis », quia, meo humili iudicio, in plano iuridico *tum nationali tum internationali*¹⁴ potest hodie sustineri, tamquam thesis *i. e. tamquam principium legale*¹⁵ ordinationis iuridicae, principium iuridicum libertatis religiosae *personarum et coetuum in vita sociali*.¹⁶

B) *Relate ad naturam socialem libertatis religiosae*. Ut vitentur conceptus aequivoci, oportet ab initio distinctionem facere inter libertatem religiosam et libertatem conscientiae in materia religiosa, quia non apparet nimis clare in textu declarationis, et hoc *ex una parte*¹⁷ ansam praebere potest ad falsas interpretationes et ex alia parte opinor *quod haec distinctio est necessaria et perutilis*¹⁸ ad claritatem ac robur argumentationis huius declarationis, *secus tota illatio idearum et argumentorum esset vacillans atque confusa*.¹⁹

Libertas religiosa non est idem ac libertas conscientiae in materia religiosa. Differunt enim a) ratione subiecti; b) ratione obiecti seu materiae; et c) ratione ambitus et naturae.

a) *Ratione subiecti*, quia subiectum libertatis conscientiae est sola persona individua; e contra, subiectum libertatis religiosae sunt individui et communitates.

b) *Ratione obiecti*, quia obiectum libertatis conscientiae *posset*²⁰ esse sive activitas religiosa sive non religiosa; e contra, obiectum libertatis religiosae tantummodo refertur ad actus religiosos.

c) *Ratione naturae*, quia libertas religiosa continet, *meo iudicio*,²¹ duplex elementum: alterum negativum, alterum positivum. *Negativum* consistit in immunitate a coactione *externa*²² in relationibus moralibus hominis cum Deo in vita sua personali. *Positivum* vero consistit in iure ad expressionem sociale, i. e. in vita sociali, libertatis conscientiae suae in materia religiosa.

Iam vero libertas conscientiae, qua talis, utpote libertas individualis interna, comprehendit et exigit tantummodo elementum negativum libertatis religiosae, i. e., immunitatem a coactione externa; *ast*²³ non semper et ubique requirit elementum positivum, quod est proprium et specificum conceptus libertatis religiosae. Certe, homo semper habet facultatem moralem et obligationem sequendi dictamen suae conscientiae rectae; sed haec facultas moralis non semper gignit ius strictum ad operandum in vita sociali iuxta dictamen conscientiae suae; quia exercitium externum illius facultatis moralis laedere potest iuribus aliorum et exigentiis fundamentalibus boni communis. Ideo nec ius nec exercitium iuris libertatis religiosae *in societate*²⁴ est « quid absolutum », illimitatum, independens ab omni norma extrasubiectiva, sed ut ait Encyclica *Pacem in terris*, « ordine morali communique omnium utilitate servatis ».

Certe, libertas religiosa tum personarum tum coetuum non effective agnosceretur ac tueretur si in activitatem externam applicari non possit. Quia « modo essendi sequitur modus operandi », et homo est corpus et spiritus, naturaliter socialis et liber, atque libertas ipsa radicatur in voluntate — pura potentia — quae tendit ad actum. Sed omnes actus externi, propter suam projectionem sociale, cadunt sub ordine iuridico. Unde, etsi libertas religiosa exigit de facto et de iure quoddam minimum illarum libertatum externarum, quae hominem constituunt civem liberum in civitate terrestri, attamen certum est, ut ait ipse textus nostrae declarationis, exercitium iuris libertatis religiosae est quidem *conditionatum ac*²⁵ limitatum ab exigentiis ordinis moralis, *finis societatis*,²⁶ et iurium aliorum. Notare vellem quod iura naturalia personarum ontologice sunt anteriora iuribus societatis.

Difficile est in praxi ambitum libertatis religiosae definire. Aeternum quidem problema est inter conscientiam et legem, inter libertatem



et auctoritatem. *Sed*²⁷ hae realitates non sunt valores absoluti, nec sunt incompatibiles cum ad bonum commune referantur iuxta diversas condiciones sociologicas uniuscuiusque populi.

Prudentiae, quae non solum est scientia *mediorum* sed etiam scientia *limitum*, competit stabilire limites in exercitio libertatis religiosae in societate civili; sed ita ut, salva libertate conscientiae et dignitate hominis, tueantur et concilientur *inter se, sub luce Evangelii*: a)²⁸ bonum commune internum uniuscuiusque communitatis nationalis; b) *bonum commune universale*²⁹ Ecclesiae; et c) *bonum commune societatis*³⁰ internationalis. Dixi.

In textu scripto tradito: 1 deest. 2 deest. 3 deest. 4 civili.
 5 deest. 6 deest. 7 seu bona fide. 8 pacem et concordiam. 9 deest.
 10 et ad. 11 deest. 12 deest. 13 deest. 14 civili. 15 deest.
 16 personis et coetibus. 17 deest. 18 necessariam esse. 19 deest.
 20 potest. 21 deest. 22 deest. 23 sed. 24 deest. 25 deest.
 26 boni communis. 27 deest. 28 deest. 29 cum bono communi universali.
 30 communitatis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XIX:

Praesentes votantes	2.226
Dixerunt <i>placet</i>	2.162
<i>non placet</i>	64

Et sufficit. Ergo textus est approbatus.

Lego textum suffragationis XXII. Pag. 13 [*cf. vol. III, pars I, pag. 405*]. Placetne an non placet?

5

Exc.MUS P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO y LECUE

Episcopus Vijayapuramensis

Venia venerabilium Patrum conciliarium, vellem nonnullas animadversiones facere ad hanc declarationem de libertate religiosa.¹

Animadversio prima. Hic sermo est de iure ad libertatem in re religiosa, sed si res bene perpendatur agi potius deberet de officio et iure quoad religionem. Nam quilibet homo officio naturae et praecepto divino positivo tenetur exercere religionem. Nunc igitur, religio necessario et essentialiter importat officia (non iura) hominis erga Deum;



et ex his officiis oriuntur iura hominis in materia religiosa, qualia sunt: ius sequendi suam vocationem, ius ne impediatur ab aliis in profitenda religione iuxta dictamen rectum suae conscientiae, etc.

Praeterea, loqui de iure ad libertatem in re religiosa ansam praebet falsae interpretationi et confusio. Ut primum vulgatum est per orbem quaestionem de libertate religiosa propositam fuisse pro discussione in Concilio plures quidem valde gavisus sunt, plures vero alii fastidio affecti, ad quorum animos placandos titulus explicandus venerat, non cunctis probantibus, eo quod solummodo unice verae religioni competat ius plenum ad libertatem.

Nunc vero in Concilio doctrina aliqua ita enuntiari oportet ut, quoad fieri potest, dum quibusdam placeat aliis non displiceat, quaeque non indigeat longa explicatione ut recte intelligatur.

Itaque propono ut haec declaratio sic inscribatur:

« De officio et iure personae et communitatis in re religiosa », et ut quoties in textu occurrit expressio « ius ad libertatem » dicatur « officium et ius » in re religiosa.

Secunda animadversio. In declaratione innuitur omnem conscientiam, quae sequi debet, frui iisdem iuribus. Hoc nullo modo admitti potest.

Officia religiosa, lege aeterna sancita atque lege naturali ac divina positiva ordinata, per conscientiam singulis denunciantur, i. e., obligatio profitendi religionem obiective oritur ex lege aeterna, obligatio vero subiectiva ex conscientia. Tamen conscientia quae *per se* sequi debet et quae confert ius *absolutum et*² inviolabile est conscientia quae est *simul vera et recta*. Qui sub tali conscientia operatur habet ius, tum in foro externo tum in foro interno, exigendi ab aliis, sive privatis individuis sive a publica auctoritate, ne impediatur in sequendo dictamine conscientiae. Praeterea, in foro externo potest, quin aliorum iura transgrediatur, annuntiare suam religionem. Insuper, nemo potest urgere eum, nec ulla ratione suadere ei ut conscientiam deponat. Haec omnia valent tantummodo circa conscientiam *veram et rectam simul*.

Conscientia *vero erronea*, dummodo sit *invincibiliter* erronea, sequi quidem debet, non per se sed *per accidens*, ratione ignorantiae et donec talis ignorantia perduraverit. Tamen huiusmodi conscientia non confert ius inviolabile et absolutum.

Explico. Qui conscientia invincibiliter erronea laborat est obligatus ad eam sequendam et ius habet ut a nemine inducatur ad agendum contra eam, sed in foro externo non habet jus exigendi ab aliis qui non participant de suo errore, ne ei resistant cum horum iura transgredi conatur. Praeterea, cum conscientia invincibiliter erronea remo-



veri possit, et debeat, sine peccato, nulla fert iniuria ei qui illa laborat si quis prudenter curet inducere eum ut talem conscientiam deponat.

Proinde iura conscientiae *verae simul et rectae* superiora sunt iuribus conscientiae invincibiliter erroneae. Haec distinctio non videtur prae oculis haberi in praesenti declaratione. Sic, e. g., in pag. 32, linn. 38 ss., legitur: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sinceræ honestaeque propagationi seu enuntiationi religionis studeant... Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient ».

Miror quomodo haec propugnari possint. Pugnant enim inaequivocis asseverationibus Christi, qui iussit servare omnia quaecumque ipse dixit ...³, et qui dedit gravem illam admonitionem: « Qui non est mecum, contra me est »...⁴.

Unica vera religio est illa quam catholica Ecclesia profitetur, et ad eam omnes pertinere tenentur. Ab eadem amplectenda nemo excusatur nisi *per accidens*, i. e., ratione sive impotentiae sive ignorantiae. Qui hanc unicam veram religionem profitentur habent iura absoluta et inviolabilia tum in foro interno tum in foro externo, sensu iam explicato.

Idem dici nequit de aliis coetibus seu communitatibus religiosis. Etiamsi sint bona fide, ut supponendum est, qui ad eos pertinent non ducuntur conscientia simul vera et recta, cum dictamen eorum circa religionem non est conforme rerum veritati. Tamen, cum laborent ignorantia invincibili, ducuntur conscientia *solummodo recta secundum quid*, i. e., relate ad eosdem. Ipsimet tenentur quidem eam sequi, sed quoad propagationem religionis eis non competunt iura quae habent profitentes unicam veram religionem. Declarare doctrinaliter, ut verbis allatis intenditur, sectas acatholicas habere ius persuadendi alios, non exclusos catholicos, ut relinquendo propriam religionem aliam amplectentur idem esse videtur ac vindicare ius adducendi alios ad *errores*,⁵ ius *seminandi*⁶ zizaniam in agro patrisfamilias, *ius propugnandi veram religionem*,⁷ quod quidem ex natura sua est prohibitum.

Propono igitur ut in hac declaratione iura conscientiae simul verae et rectae ac iura conscientiae invincibiliter erroneae clare distinguantur, atque iura unice verae Ecclesiae et coetuum religiosorum accurate determinentur.

Tertia Animadversio. In pag. 30, linn. 38 ss, dicitur: « Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et ad salutem in Deo assequendam aperit atque praescribit, maximam revera personae humanae dignitatem constituit ».

Si haec verba sensu obvio sumantur, non videntur exprimere ve-



ram doctrinam. In textu « vocatio divina » stare suppono pro gratia vocationis, quae inter gratias praevenientes seu praepraeprantes adnumeranda est. Nunc vero, huiusmodi gratiae ex se, utpote transeuntes, nequeunt constituere dignitatem, ac multo minus maximam personae humanae dignitatem. Ut suppono, sermo est de dignitate supernaturali, et huius constitutum non est nisi gratia sanctificans, vi cuius homo fit particeps divinae naturae ...⁸.

Consulto dixi *me supponere* hic sermonem esse de gratia vocationis et de dignitate supernaturali. In relatione vero ...⁹ innuitur ...¹⁰ agi de vocatione naturali. Hoc in *sensu*¹¹ quaeri potest an, in praesenti ordine elevationis hominis ad ordinem supernaturalem in quo unicus finis assignatus homini est supernaturalis, in re religiosa sermo institui possit de vocatione naturali. Quidquid sit ...¹².

Moderator: Velis concludere, Pater.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ (Mt. 28, 20). ⁴ (Mt. 12, 30). ⁵ errorem. ⁶ superseminandi. ⁷ deest. ⁸ Ex hac participatione divinae naturae proveniunt alii mirabiles effectus dignificantes hominem, videlicet: quod sit filius Dei adoptivus, Deo gratus, eius amicus, sanctus, templum Spiritus Sancti etc. Huc faciunt illa nota verba S. Leonis Magni: « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors naturae factus, noli in veterem dignitatem degeneri conversatione redire » (*Sermo* 21 c. 3). Sequentem propono emendationem textus: « Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et salutem in Deo assequendam praescribit atque praepraepratur, ut insigne beneficium ab omnibus habendum est atque in solidali convictu ius ad hanc vocationem assequendi... ». ⁹ (pag. 6 sub *b*). ¹⁰ hic. ¹¹ casu. ¹² vocatio ex se nequit constituere maximam dignitatem personae humanae. *Quarta animadversio.* In pag. 31, lin. 7, legitur: « Huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina ». Hic « vocatio divina » videtur equiparari « integrae necessitudini » ad Deum. Oporteret scire quid sibi vult expressio « integrae necessitudinis ad Deum ». Si sumatur pro relatione amicitiae ad Deum, haec non oritur ex vocatione divina secundum se considerata, sed ex gratia sanctificante. Si vero « necessitudo » connotet indigentiam, tunc non facit sensum. Alteratio textus quam suggero sic se habet: « Haec autem vocatio hominis regitur lege divina, quae est lex aeterna... ».

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitum suffragationis XX:

Praesentes votantes	2.228
Dixerunt <i>placet</i>	2.205
<i>non placet</i>	23



Exitus suffragationis XXI:

Praesentes votantes	2.226
Dixerunt <i>placet</i>	2.147
<i>non placet</i>	77
Suffragia nulla	2

Et lego textum suffragationis XXIII. Pag. 14 [*cf. vol. III, pars I, pag. 405*]. Placetne an non placet?

6

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Neminem nostrum profecto fugit declarationem conciliarem de libertate religiosa in praesentibus historicis circumstantiis peropportunam esse ob diversorum ordinum rationes et considerationes. Sufficiat mihi universalem expectationem indicare, quae certo profundae hominum nostri temporis instantiae respondet.

Puto tamen perspiciendum nobis esse, *ut iam hesternae die notatum est*,¹ non a quovis hominum conventu vel coetu declarationem prolaturam, sed a Concilio Oecumenico catholicae Ecclesiae a Christo Domino fundatae. Necesse igitur est ut ipsa, dum ius omnium hominum ad libertatem religiosam declarat, simul veritatem declaret, qua Christus nos liberavit. Declaratio conciliaris, a. v., talis, meo submisso iudicio, esse debet, quae, neque dictorum neque omissorum causa, ansam cuivis praebeat indifferentismi religiosi, ne dicam absoluti, sed nec relativi tantum, in variis suis aspectibus sive privatis sive socialibus ac politicis. Quod valet praesertim pro christifidelibus, quibus etiam declaratio dirigitur quique, utcumque, eam cognoscent, et pro Statibus, in quibus maioritas catholicorum exstat.

His considerationibus praemissis, haec quae sequuntur mihi videntur in nostra declaratione quomodocumque affirmanda vel innuenda.

1. Asserendum esset, ante omnia, veritatem et errorem obiective inter se opponi, salva utique distinctione inter errorem et errantem.

2. Sola veritas ius reale habet assensum hominum exquirendi et accipiendi. Error autem ius habet, ut dicitur, « putativum », usquedum revelata Christi Veritas affulgeat, cui libere adhaerere sacrum ius est et inviolabile.



3. Libertas religiosa fundamentum ideo non habet in quodam iure obiectivo erroris — hoc pro christifidelibus perclarum esse debet —, sed in iure subiectivo dumtaxat personae humanae dictamen conscientiae semper sequendi salvo bono communi. Hac sane in luce asseritur, iustificatur, defendi imo potest et debet libertas religiosa. Ceterum, hoc absque ambiguitate affirmare nemini iniuriam aut praeiudicium afferre potest, cum aperte affirmetur et vindicetur pro omnibus hominibus ius fundamentale personae humanae huiusque dignitas. In schemate hoc utique dicitur, sed fortasse clariori forma, quae omnibus perspicua sit, erit dicendum.

4. Omnes homines vero gravi adstringuntur officio voluntatem *positivam* Creatoris et Salvatoris pro omnibus manifestatam cognoscendi — quantum unicuique possibile erit — et amplectendi in eis quae ad religionem pertinent. Quo sensu omnes homines communem vocationem a Deo habent, supernaturalem et obiectivam.

5. Ecclesia catholica igitur, utpote quae a Christo Domino fundata ad Eius Evangelium universo mundo annuntiandum, officium habet atque consequenter ius reale, a iure divino positivo directe profluens, annuntiandi et propagandi Evangelium ipsum apud omnes homines, salva semper eorum libertate.

6. Cavendum est ne libertas religiosa intendatur uti libertas iudicandi et agendi in re religiosa etiam relate ad societatem religiosam, cui quis adhaeret. In tuto ergo ponendum est societatem religiosam — Ecclesiam potissimum, quae ex Dei voluntate est unica societas religiosa ad hominum salutem — veram et propriam in eos, qui eius membra effecti sunt, auctoritatem habere.

7. Cum denique lex naturalis talis sit ut omnibus hominibus manifesta fiat, affirmandum est homines, etsi in conscientia erronea constitutos, nullo modo contra eandem legem agere posse: quod si accidat, legitima auctoritas impedire potest et debet.

Humillime censeo quod si modus aptior inveniatur — attentis natura et fine declarationis — haec principia dilucide affirmandi vel inveniendi in textu breviori, declaratio ipsa, dum dialogum oecumenicum — quod omnium in votis est — efficaciter favebit, et characterem pastorem et missionarium magis praebebit. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest.

Moderator: Loquatur secretarius generalis.



Secretarius generalis: Ecce exitum suffragationis XXII:

Votantes praesentes	2.225
Dixerunt <i>placet</i>	2.189
<i>non placet</i>	35
Suffragium nullum	1

Ergo textus est approbatus. Nunc lego textum suffragationis XXIV, quae est ultima hoc mane. Pag. 14 [cf. vol. III, pars I, pag. 405-406]. Placetne an non placet?

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ

Episcopus Tudensis-Vicensis

Venerabiles Patres,

Qua par est reverentia huic Sanctissimae Synodo proponere audeo *tantum*¹ ut a declaratione priori, *de libertate religiosa*, in schemate de Oecumenismo, comma auferatur quod in n. 31, fol. 33, linn. 20-22 continetur, nempe « rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda ». Comma hoc, quod non bene omnino componitur cum iis quae antea in n. 30 adseruntur, breve quidem est, sed gravissimis consecrariis praegnans, et ut mihi videtur doctrinam hucusque acceptam et a magisterio Ecclesiae propositam radicitus immutare intendit. Quod patefacere conabor.

I. Sententia de ineptitudine reipublicae ad iudicia ferenda de veritate religiosa deducit e doctrina politica de iuridica regiminis configuratione, *quam ut suam exprimit schema*.² Ast doctrina haec diverso modo interpretari debet, iuxta principia e quibus eius fautores eruunt. Pluriores sunt qui iuridismum positivistico sensu propugnant, ius naturale reicientes, et tantum normas a Statu editas ut ius recipiunt. Quid tum significaret reipublicae iuridica configuratio si ius tantum esset ipsa voluntas Status? ...³ Ex hoc intelligitur quomodo puriorem formam formalismi iuridici autumaverunt non pauci nationalsocialismi fautores.

Sed verba schematis, nullimode perspicua, enucleare intendam. Forse intelligenda sunt eo sensu quod Status careat organo iuridice apto ad talia iudicia de rebus religiosis ferenda. Sed etiam talibus organis caret ad alias veritates proferendas, quibus tamen adhaerere tenetur, e. g. de *inviolabilitate*⁴ ordinis internationalis. Re vera suprema magistratura,

sive persona sit physica vel moralis, iudicia et decisiones adsumere debet, non tantum in rebus iuridicis sed et politicis, oeconomicis, socialibus, culturalibus ceterisque.

Forse propositio interpretari debeat ad mentem quorundam doctorum de incapacitate coetus vel collegii ad veritates religiosas profitendas, vero actu fidei supernaturalis, et hinc autumant rem publicam non posse sese catholicam declarare. Sed quando respublica sese catholicam declarat, nullo modo sese capacem gratiae supernaturalis, vel subiectum aptum ad sacramenta recipienda autumat, sed tantum solemniter manifestat suam oboedientiam legi divinae, suam voluntatem cultum Deo debitum publice tribuendi, suam obligationem Ecclesiae propria actione iuvandi. Quod Ecclesia ipsa suo constanti magisterio, abhinc a saec. IV ut munus Reipublicae indesinenter docuit.

Sed et hoc parum vel nihil *confert*⁵ ad libertatem religiosam, nam et respublica catholica veram libertatem non catholicorum custodire et tuere potest.

Quomodocumque incapacitas, quae affirmatur, non pendet a iuridica regiminis organisatione, quod sine necessitate, ut mihi videtur, in schemate asseritur. Nam si Status non iuridice configuraretur hac incapacitate non laboraret. Ideoque etiam respublica arbitrario modo constituta hac incapacitate non limitata, iudicia proferre valeret de rebus religiosis, quod iam non posset si quando iuridice ordinata fuerit.

II. Ast veritas aliunde est, et eam Ecclesia semper proposuit constanti magisterio. Respublica incapax revera est, in ordine revelationis, ad iudicia ferenda tamquam magistra, de veritate religiosa. Unica magistra est Ecclesia. Sed Respublica iudicia proferre potest et debet circa magisterium legitimum accipiendum et oboediendum. Si Respublica careret omni possibilitate ad iudicia ferenda de veritate religiosa, tunc agnostica esse deberet. Quod alienum omnino puto ab intentione schematis.

De constanti magisterio Ecclesiae circa officia Status erga veram religionem et erga Ecclesiam supervacaneum existimo testimonia afferre, cum omnibus nota sint.

Haec officia respublica non caeco imperio voluntatis adsumere et proponere valet, sed rationibus ad cordatos viros convincendos bene perpensis, et lucido et libero iudicio.

Quando Mundus, denique consecretur et Deo dicetur? Etiam *nunc*⁶ persona moralis, qua societas christiana legitime repraesentetur, incapax erit ad Deum agnoscendum et rite colendum?

Etiam nunc respublica capax est ad iudicia prudentialia ferenda circa res religiosas, praesertim quando eius cives unanimi fere consensu



veram religionem profitentur. Quod hodie etiam evenit, Deo favente, in nonnullis nationibus, quae non ob hanc causam despiciendae sunt, ac si pluralismus religiosus unica possibilitas foret ab Ecclesia accipienda. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ Simplex tantum autolimitatio, uti aiunt. ⁴ sanctitate. ⁵ conferret. ⁶ tunc.

8

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Venerabiles Patres,

Animadversionibus em.morum cardd. Ruffini et Bueno y Monreal quas heri audivimus, et quibus ex corde adhaereo, pauca addere liceat.

1. Schema declarationis *de libertate religiosa* propugnat ut eadem iura in societate concedantur verae et falsis religionibus eo quod unusquisque Deum colere debeat secundum dictamen propriae conscientiae, et pro se adducit allocutionem « Ci riesce » Pii XII 6 dec. 1953 ad iurisperitos Italiae et Litteras encyclicas *Libertas* Leonis XIII. Pius autem XII, in citata allocutione data opera agens de libertate religiosa, bene distinguit inter verum quod ius obiective habet et falsum quod nonnisi interdum permitti debet. En verba Pontificis: « *quod vero et normae morali non respondet obiective nullum ius habet nec ut sit nec ut propagetur, nec ut agat* » « *Quod autem non impediatur, mediantibus legibus et coercionibus civilibus admitti potest propter bonum aliquod superius et amplius* ».¹

*Vellem hanc distinctionem videre in schemate.*²

...³ Encyclica *Libertas* Leonis XIII de rerumpublicarum moderatorum obligatione haec habet: « Cum igitur sit unius religionis necessaria in societate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis agnoscitur ...⁴. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere ». *Etiam hoc principium in declaratione vellem.*⁵

2. Natura humana non perficitur nisi adhaesione bono et vero. Non ergo sermo esse potest de salvanda dignitate personae cum homo falsum admittit, etsi bona fide: « Si mens adsentiatur opinionibus falsis, ait Leo XIII, si malum voluntas absumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali ...⁶ ». Et



addit: « Quaecumque sunt igitur virtuti veritatisque contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelave legum defendere multo minus »...⁷.

3. Mutuae relationes personarum in societate viventium fulciri debent in lege naturali et positiva Dei. Lex autem divina est ut omnes veram fidem amplectantur et Ecclesiam veram ingrediantur, et Deus ut hoc obtineatur omnium in auxilium gratia sua venit ita ut nullus sine culpa damnetur. Haec veritas schema videtur ignorare. *Opto*⁸ ut in revisione *textus*⁹ ad illam attendatur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto, né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione ». « Il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno esser giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto ». ² Cur ad hanc distinctionem non attendit schema? ³ Item. ⁴ cum in ea tanquam insignitae notae veritatis appareant. ⁵ Cur hoc principium in declaratione non apparet? ⁶ et in corruptelam ambae debebantur ». ⁷ (*Immortale Dei*). ⁸ Vellem ergo. ⁹ deest.

9

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. card. Vicarii in Urbe

Venerabiles Patres,

Textum et notas considerans declarationis *de libertate religiosa*, sequentia digna duxi quae vestrae benevolentiae submitterentur modo, uti dicitur, schematico.

Pag. 29, ...¹ lin. 8: « Secundum dictamen conscientiae ». Haec ratio non videtur recte adducta. Nam:

a) per se dictamen conscientiae nullum admittit limitem. E contra, nostra declaratio, pag. 31, lin. 33, limitem ponit edicendo: « Id exercitium limitari non licet *nisi* in quantum graviter contradicit fini societatis ».

b) Exemplum fingamus miserrimi cuiusdam sacerdotis catholici qui prava tentatione deceptus — ut puta inoboedientiae, pecuniae et alia huiusmodi ...² — ad Protestantismum ...³ transivit. Etiam hic sacerdos ius habet ad libertatem religiosam. Sed quaeri potest: haec libertas ei advenit reapse ex conscientia? Minime quidem. Ergo alia ratio est adducenda.

Pag. 29, lin. 8: « Voluntatem Creatoris et Salvatoris ». Uti sonat,

affirmatio est nimis generalis. Qui suam exercet religionem dicitur sequi voluntatem seu vocationem divinam. Distinctione hic opus est inter actum internum et actum externum. Qui suam exercet religionem sequitur voluntatem Dei: *a)* in quantum *interne et cordetenus* adhaeret religioni quam censet veram, subdistinguo: quatenus errat, si errat, nego; quatenus intendit Deo oboedire, concedo. *b)* Qui suam exercet religionem sequitur voluntatem Dei, in quantum publice exercet et diffundit suum errorem, subdistinguo: si error non nocet fini societatis, concedo; si nocet, nego.

Fortasse tota periodus hoc vel simili modo reformari poterit: Homo, cum natura liber existat, ius naturale habet utendi libertate sua in re religiosa dummodo nihil contra finem societatis agat.

Pag. 29, ...⁴ lin. 11: « Nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt ». Uti iam simul legimus pag. 31, lin. 33, limites recognoscuntur in exercenda libertate religiosa, si quaedam forte contradicant societatis fini. Ergo verbis « Nec ulla coactione ... prohiberi possunt », addatur: « nisi graviter contradicat fini societatis ».

Pag. 31, linn. 15-16: « Qui conscientiae suae sincere oboedit ».

a) Sincere: conditio ponitur quae sciri nequit. Ergo — uti videtur — inutiliter ponitur.

b) Ratio oboediendi conscientiae valet absolute tantum pro actu interno; pro actu externo considerandus est finis societatis. Si actus externus — divini cultus in casu nostro — fini societatis contradicat, a societate impediri potest.

Pag. 31, lin. 18: « ... nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi, etc. ... ». Potestne Concilium his paucis et non concinnis verbis sic dictos « obicientes ex conscientia » (obiettori di coscienza) a quacumque sanctione eximere?

Pag. 31, lin. 41: « ... publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus, etc. ... ». Videtur hic enunciari principium nimis generale. Debetne Concilium damnare constitutionem nationis catholicae quae nonnisi regem vel caput Status catholicum admittit?

Pag. 32, lin. 3: « Pariter haec libertas religiosa offenditur damnatione ad poenas propter rationes religiosas ». Serio attendendum est ne doctrina et praxis Ecclesiae in re substantiali damnetur. Ecclesia non potuit docere et agere contra ius naturae.

Explicatio quae datur in pag. 34 — uti mihi videtur — non potest sustineri quia inter id quod dicitur in lineis nuper lectis et doctrinam Ecclesiae traditionalem ...⁵, differentia non est tantum evolutionis et progressus, sed potius oppositionis et contradictionis.

Sic non bene dicitur libertatem conscientiae olim damnatam esse



quia habebatur ut consecrarium descendens a principio indifferentismi; e contrario ipsa damnata est a Pio IX ut principium ex quo indifferentismus sequitur (cf. *Syllabum*, propositionem 79).

Ergo alia explicatio seu conciliatio esset proponenda animadvertendo quod finis societatis est bonum commune; bonum autem commune in quibusdam variari potest secundum loci et temporis adiuncta. Nostris quidem temporibus conformis est bono communi amplissima libertas religiosa.

Pag. 32, lin. 39: « Vitato tamen proselytismo ». Nimis generalis damnatio. Non omnis proselytismus est malus. Forsitan dici posset: « Solis tamen mediis propriis et honestis ».

Pag. 33, lin. 20: « Manifestum est... rem publicam ob ipsam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse... ». Cuidam forsitan admirationi esse posset quia videtur contradicere doctrinae Leonis XIII *Immortale Dei* ...⁵. Neutralitas Status, quamvis in determinatis circumstantiis bona esse potest non est habenda ut omnium solutionum optima.

Caritate Christi compulsi erga fideles nostros qui etiam hodie persecutionem patiuntur pro nostra sanctissima et verissima bene amata religione catholica concludere oporteret declarationem nostram sollemniter affirmantes: « Quidquid dicitur in praesenti declaratione de iure naturali ad religiosam libertatem hoc etiam pro se valere Ecclesia catholica contendit.

Praeterea tamen vindicat sibi ius — loquamur tandem aliquando etiam de iuribus Ecclesiae — praeterea vindicat sibi ius supernaturale religionis a Deo probatae et a Christo constitutae » ...⁷. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ n. 26. ² ut bene nostis. ³ pro dolor.
⁴ n. 26. ⁵ (ut a tempore S. Augustini usque ad recentes et hodiernos Summos Pontifices tradita est). ⁶ (*A.S.S.*, 18, 164). ⁷ Quo novo titulo et libertas plena ei ab omnibus debetur, et favor ei concedendus est ab omnibus qui eam agnoscunt.

Exc.MUS P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER

Episcopus Aquisgranensis

Venerabiles Patres conciliares,

Quoad declarationem *de libertate religiosa* in schemate *de Oecumenismo* unam emendationem vel potius supplementum commendare mihi liceat.

Declaratio *de libertate religiosa* forsitan temporibus posterioribus

tamquam documentum vere historicum carum habebitur. Post tot persecutiones, *post tot*¹ iniurias et dolores, quos decursu temporis gens humana propter intolerantiam passa est, enuntiatur nunc solemniter principium generale non licere unquam quod persona humana obiectum coercionis seu intolerantiae sit. E contra, hominis dignitas personalis requirit ex iure naturae, ut voluntati Dei iuxta dictamina conscientiae suae libere oboediat. Praesertim libertas religiosa vehementer urgetur, quae concedi debet omnibus non tantum catholicis sed etiam bona fide errantibus.

Haec principia servient verae paci hominum in terris. In declaratione nostra autem unum non satis expositum mihi videtur quod in mundo moderno est signum characteristicum probationis, utrum vera libertas in aliqua communitate humana habeatur, nempe libertas quoad educationem iuventutis. *Et hic non loquor tantum, uti S. E. card. König valde bene fecit, de Statibus in quibus habetur gubernium atheisticum, sed loquor generatim de omnibus populis.*²

Certe dici potest hanc quaestionem pertinere ad schema *de scholis catholicis*, et revera ibi expresse tractatur. Sed putamus permitti non posse, ut in hac declaratione de conscientiae postulatione tam gravi et tam fundamentali fere taceatur. Uno solummodo verbo in n. 29 ...³ rei educativae mentio fit. Iam Unitas Nationum, sic dicta « UNO », hanc quaestionem pro re tanti momenti habet, ut ius educationis ex parte genitorum inter iura fundamentalia hominum expresse enumeret.

In n. 29 declarationis nostrae dicitur, quod libertas non vindicatur tantum ut mera « libertas opinionis » nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut verum ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua privata et publica erga Deum et erga homines ad totam vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam.

Quaero: Qualia officia parentum coram eorum conscientia sunt graviora quam officium educandi prolem pro Deo et pro vita aeterna? Haec parentum obligatio est gravissima et eorum ius ad educandam prolem est inviolabile. Hoc ius autem debet esse non tantum theoreticum sed etiam practice realizandum, i. e. in societate hodierna, ubi generatim educatio sufficiens sine scholis fieri non potest, parentibus ius competit, ut filii in scholis secundum eorum conscientiam educentur.

Ideo scholae monopolium ex parte status reprobandum est. Potius publicae auctoritatis officium est res ita disponere, ut parentes et cives in eligenda schola vera libertate gaudeant ...⁴, et quidem non licet, ut parentibus propter hanc libertatem electionis onera *specialia*⁵ imponantur.



Sine iure reali parentum educandi prolem secundum eorum conscientiam vera libertas religiosa non datur. Nec sine sincera agnitione talis iuris in societate hodierna, quae pluralitate persuasionum religionum signata est, iustitia et pax inter homines haberi possunt.

His de causis nunquam desinere possumus a libertate parentum quoad educationem prolis postulanda et arguenda opportune, impertune. Verbum « libertas » nostris temporibus vim specialem habet et experientia docet, e. g. in Hollandia, quod perseverantia indeficiens hac in re non manet sine effectu.

Conclusio. Secundum meum iudicium bonum quidem est, si in declaratione dicitur libertatem religiosam offendi damnatione ad poenas propter rationes religiosas, spoliatione bonorum religionis causa, negatione aequalitatis socialis et nationalitatis etc. Haec omnia vera sunt et tales iniustitias in multis regionibus deplorare debemus et a pluribus hominibus deplorantur. Iura autem quoad educationem prolis fere in universo orbe violantur, sed haec violatio a paucis solummodo cognoscitur respective qua talis agnoscitur. Ideo valde utile esset si Concilium Vaticanum II in declaratione *de libertate religiosa* expresse et vehementer mundum appellare vellet de tolerantia quoad scholas et educationem iuventutis.

Preces ergo mea est, ut declaratio in hoc sensu suppleatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ (pag. 31, lin. 28).
⁴ (cf. schema *de scholis catholicis*). ⁵ deest.

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. S. Sp.

Venerabiles Patres,

Etsi haec declaratio *de libertate religiosa* apparet ut vere opportuna, attamen, ut iam dixerunt aliqui Patres, fiat brevior, et vitentur quaestiones disputatae et consequentiae periculosae.

Ad vitanda haec pericula, hae animadversiones faciendae mihi videntur:

1. Detur definitio clara de libertate in conditione nostra humana peccabili.



*Nonne*¹ libertas praedicatur alio modo et alio modo de sanctis, de hominibus in terra degentibus et de damnatis?

Libertas est qualitas relativa, non absoluta: est bona vel mala secundum quod utitur ad bonum vel malum.

2. Bene distinguatur inter actus conscientiae, i. e. actus internos in re religiosa et actus externos, quia hi actus externi possunt vel aedificare vel scandalizare.

Et quis nostrum oblivisci potest verba Domini Nostri relate ad eos per quos scandalum venit?

3. Quando agitur de libertate quoad actus externos, necessario debet agi de auctoritate, cuius munus est etiam iuvare homines ad bonum faciendum et malum vitandum, i. e. ad rectum usum libertatis, sicut dixit S. Paulus ad Romanos: « Vis non timere potestatem: bonum fac ».

Declaratio contra coactionem in n. 28 est ambigua et sub aliquibus aspectibus falsa. Quid enim de auctoritate paterna patrum familias christianorum erga filios suos, de auctoritate magistrorum in scholis christianis, de auctoritate Ecclesiae erga apostatas, haereticos et schismaticos, de auctoritate rectorum civitatum catholicorum erga religiones falsas quae secum afferunt immoralitatem et rationalismum...?

4. Attendatur ad gravissimas consequentias huius declarationis de iure sequendi conscientiae dictamen et externe agendi secundum hoc dictamen.

Etenim quod dicitur de re religiosa valet logice pro omni re morali. Quis non videt gravissimas consequentias in hoc ordine? Et quis *potest*² determinare criterium boni et mali, cum derelictum est criterium moralitatis secundum veritatem catholicam a Christo expressam?

Impossibile est affirmare libertatem omnium coetuum religiosorum in societate humana, ut in n. 29, quin detur etiam libertas in re morali istorum coetuum, quia res moralis intime connectitur cum religione, e. g. polygamia in religione islamica.

Alia gravis consequentia erit diminutio...³ zeli ad evangelizandos paganos et alios homines non catholicos, cum dictamen conscientiae uniuscuiusque hominis consideratur ut vocatio personalis providentialis, ut dixit relator.

Quis non videt hanc affirmationem maximum damnum afferre apostolatu Ecclesiae?

5. Haec declaratio nititur in aliquo relativismo et in aliquo idealismo.

Ex una parte enim considerat situationes particulares et mutabiles nostri temporis, et quaerit nova principia ad nostram activitatem diri-



gendam sicut faciunt qui unice considerant statum aliquem particularem, e. g. in Statibus Unitis. Hae circumstantiae mutari possunt et de facto mutantur.

Ex altera parte, cum haec declaratio non sit fundata in iuribus veritatis, i. e. in iuribus Christi et Ecclesiae quae unice solutionem veram et stabilem possunt dare in omnibus circumstantiis, necessario versatur in magnis difficultatibus, et falso, *mibi videtur*,⁴ putant redactores quod rectores civitatum non christiani non habent sensum veritatis. Experientia docet hoc esse falsum: veritas aliquo modo ab omnibus percipitur, tam ab his qui veritati contradicunt et credentes persequuntur, quam ab his qui, non credentes, venerationem habent pro veritate et iis qui in veritate credunt.

Unde concludo. Si haec declaratio talis qualis iacet solemniter affirmatur, *mibi videtur*,⁵ veneratio qua semper fruitur Ecclesia catholica ab omnibus hominibus et societatibus propter suum indefectibilem amorem veritatis, usque ad sanguinem et propter exemplum virtutum tam individualium quam socialium, magnum detrimentum patietur, et hoc in damnum multarum animarum quae non amplius a veritate catholica attrahentur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ quia. ² poterit. ³ necessitatis missionum et. ⁴ deest. ⁵ deest.

Moderator: Audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum ultimarum, nempe XXIII imprimis.

Inter 2.221 Patres praesentes votantes, dixerunt:

<i>placet</i>	2.177
<i>non placet</i>	43
votum nullum	1

In suffragatione XXIV et ultima hoc mane:

Praesentes votantes	2.203
Dixerunt <i>placet</i>	2.152
<i>non placet</i>	51

Ergo uterque textus est approbatus.



12

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY
Praepositus generalis Soc. Mariae

Patres venerabiles,

Quamvis in textu declarationis *de libertate religiosa*, nobis proposito, plures mutationes in melius videantur optandae, liceat mihi in una insistere, quae publicam emendationem videtur merere. Agitur de ipso fundamento libertatis personalis in ordine religioso.

In praesenti documento saepe saepius, ius ad libertatem conscientiae fundatur in principio, quod vocatur « vocationis divinae ». Iuxta hoc principium quaevis sincera conscientia etiam si erronea est quaedam Dei appellatio (divina vocatio). Affirmare conscientiam erroneam esse vocationem divinam constituit punctum aliquod ultimum, ad quod pervenit infelix evolutio conceptus vocationis divinae.

Divina vocatio, in Novo Testamento, fuit appellatio ad Christum sequendum, ad fidem christianam, ad caelum, ad sanctitatem seu ad perfectionem congruam.

In Novo Testamento, sacerdotium etiam dicitur vocatio divina. Non est hic conveniens occasio disserendi de idea vocationis divinae ad sacerdotium. Sed parcite mihi, Patres venerabiles, si vobis in mentem revoco tendentiam loquendi ac si vocatio Dei ad sacerdotium cognoscibilis esset ab unoquoque nostrum in ordine humano psychologico, ac si unusquisque nostrum sciret sese a Deo appellatum. Ex tali evolutione ideae vocationis divinae, mos recenter invaluit loquendi etiam de vocatione divina ad matrimonium, immo haec expressio « vocatio divina » taliter extensa est ut professio medici, advocati, architecti, ceteraeque vitae occupationes dicantur divina vocatio.

Nunc demum in textu nobis proposito, invenitur quasi reductio ad absurdum huius infelicitis evolutionis. Imperativum conscientiae, rectae sed erroneae, dicitur vocatio divina. Talis loquendi modus longe abest a doctrina Doctoris Communis. S. Thomas, in *Summa theologica*, I-II, q. 19, art. 10, quaerit: Utrum voluntas hominis debeat semper conformari divinae voluntati in volito? Et respondit: in particulari nescimus quid Deus velit et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.

Pseudo-mysticismo indulgent illi qui voluntatem et vocationem divinam ubique quaerunt. Ponamus igitur tanquam fundamentum libertatis religiosae non vocationem aliquam divinam, sed obligationem conscientiae, imperativum categoricum conscientiae sub Deo... sub Deo,



pro iis qui in Deum credunt, sed pro omnibus hominibus, imperativum categoricum conscientiae.

Ius ad libertatem religiosam, sicut omnia alia iura in homine, oritur ex aliqua obligatione. In creaturis, nullum unquam datur ius quod non fundatur in priori obligatione. Quia homo aliquis se sentit obligatus ad Deum tali modo venerandum, ius habet ad istam obligationem implendam; quia homo socialis se iudicat obligatum ad Deum socialiter colendum, ius habet ad cultum sociale. Super conscientiam individuum sub Deo, nulla datur superior auctoritas, nisi ab illa conscientia individua sincere percipitur; sic et catholici accipiunt auctoritatem eorum Ecclesiae.

Exercitium quidem iuris unius hominis vel unius associationis a societate limitari potest, sed solum in quantum tale exercitium impugnat iura alterius. Talis conflictio obligationum et iurium non debet faciliter supponi.

Super hoc fundamentum solidum erigendam spero declarationem libertatis religiosae in hoc Concilio. Libertas est omnibus hominibus pretiosissima. Quidquid cogitamus nos sacerdotes, Ecclesia catholica non valde aestimatur in mundo tamquam libertatis defensor. Quando tamen Ecclesia fovet ac spondet libertatem mundus magnopere gaudet. Testimonium habemus in receptione fervida universaliter data litteris encyclicis Ioannis XXIII *Pacem in terris*.

Ne Concilium nostrum mundum decipiat! Dixi.

Textus scripto traditus:

Haec mea interventio provenit e duabus praecipuis considerationibus. Primum, anxius sum quod hoc Concilium emittat declarationem libertatis religiosae. Secundum, anxius sum quod haec declaratio solido fundamento firmetur et quod sit modo intelligibili et congruo expressa.

Quamvis in textu nobis proposito plures mutationes in melius videantur optandae, liceat mihi in una insistere quae publicam emendationem videtur merere. In praesenti documento saepe saepius, ius ad libertatem rectae conscientiae fundatur in principio quod vocatur « vocationis divinae ». Iuxta hoc principium quaevis sincera conscientia, etiamsi erronea — *conscientia recta, quamvis non vera* — est quaedam Dei appellatio (*vocatio divina*). Affirmare conscientiam erroneam esse vocationem divinam constituit ultimum punctum ad quod pervenit infelix evolutio conceptus vocationis divinae. Abstineatur ab hac conceptione.

Divina vocatio, in Novo Testamento, fuit appellatio ad Christum sequendum, ad fidem christianam, ad caelum, et ad sanctitatem seu ad perfectionem congruam.

Sacerdotium etiam dicitur vocatio divina in Novo Testamento. Tamen, non est evidens quod illa sacerdotalis vocatio sit cognoscibilis in ordine humano psychologico, sed potius est elementum aeternae praedestinationis e parte Dei.



Post infructuosum tentamen in Gallia exsequendi decretum Concilii Tridentini quoad foundationem seminariorum, directores spirituales ideam excogitarunt cuiusdam divinae vocationis ad sacerdotium cognoscibilis in ordine humano psychologico, sive ex parte candidati sive potius ex parte eius spiritualis directoris. Hic conceptus extensus fuit ad vitam religiosam.

Praesenti tempore, mos invaluit loquendi de divina vocatione etiam relate ad statum matrimonialem, tamquam si coniuges certi essent se ex praecisa Dei voluntate simul utrumque uniri: matrimonia in caelo orta.

Tam longe haec expressio «vocatio divina» nunc extensa est, ut professio medici, advocati, architecti ceteraeque vitae occupationes dicantur divina vocatio.

Denique, in textu nobis proposito, adest reductio ad absurdum huius infelicis evolutionis: imperativum conscientiae, rectae sed erroneae, dicitur vocatio divina.

Talis modus loquendi longe abest a doctrina Divi Thomae. Ipse, in *Summa theologica*, I-II, q. 19, a. 10, quaerit: «Utrum voluntas hominis debeat semper conformari divinae voluntati in volito?». Et respondit: «... In particulari nescimus quid Deus velit; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati». Sic pseudomysticismo indulgent illi qui voluntatem et vocationem divinam ubique quaerunt.

Mihi videtur adaequatum fundamentum inviolabilitatis libertatis religiosae inveniri in imperativo ipsius conscientiae sub Deo.

Attamen in hac declaratione, quidquid sit de emendationibus, ad decretum melius perficiendum omnino urget affirmari a nobis libertas religiosa. Aliter ruit Concilium.

Schemata iam proposita et proponenda — illis exceptis de Liturgia, de collegialitate episcoporum et de Oecumenismo — parum conferunt ad «aggiornamento». Plerumque ipsa plena sunt «triumphalismo»; id est, insistunt fere totaliter in aspectu divino aut theorico problematum Ecclesiae, potius quam in aspectu humano aut existentiali, cuius explanationem valde expectant homines intra et extra Ecclesiam.

Libertas est omnibus hominibus pretiosissima. Quidquid cogitamus nos sacerdotes, Ecclesia catholica non valde aestimatur in mundo tamquam libertatis defensor. Quando, tamen, Ecclesia fovet ac spondet libertatem, mundus magnopere gaudet. Testimonium habemus in receptione fervida universaliter data Litteris Encyclicis Ioannis XXIII, *Pacem in terris*.

Ne Concilium nostrum mundum decipiat!

13

EXC.MUS P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

Venerabiles Patres, Fratres, ceteri omnes,

Plene consentio cum episcopis in Statibus Foederatis, quibus (ut iam dictum est) haec declaratio de libertate religiosa in genere placet, immo valde placet.

Volo loqui de ipso conceptu libertatis religiosae, de quo agitur in n. 26, pag. 29, et etiam alibi in declaratione. Duo habeo dicenda, ad explicandam et defendendam declarationem nostram.

Prima quaestio est de nexu qui obtinet inter libertatem religiosam internam personalem, et libertatem religiosam externam socialem. In vocabulario hodierno quasi tecnico, prima libertas vocatur libertas conscientiae, altera autem vocatur liberum exercitium religionis, quod quidem exercitium variis modis peragitur. Nunc autem, in communi conscientia hominum nostrae aetatis, existit nexus indissolubilis inter utramque libertatem, internam atque externam.

Ius ad liberum exercitium religionis non debet considerari tamquam deductio quaedam logica ex iure ad libertatem conscientiae. Eiusmodi deductio niteretur praemissa quadam tacita, quae falsa est. Supponeret nempe conceptum hominis illum rationalisticum et individualisticum, qui saec. XIX late grassabatur. Secundum hunc conceptum, homo in prima instantia est quoddam individuum, et solummodo in altera instantia est ens sociale. Hic conceptus hominis falsus est.

Secundum veram metaphysicam personae humanae, quae in philosophia catholica communiter tenetur, existentia humana est essentialiter socialis et historica. In una eademque instantia persona humana est quoddam individuum seu quidam « ego », et etiam est ens sociale seu quidam « ego cum aliis et ad alios in mundo ». Proinde nullo modo licet introducere quamdam dichotomiam in personam humanam, nempe inter eius existentiam personalem interiorem et eius existentiam socialem historicam.

Ex hac vera metaphysica personae humanae sequitur conclusio maximi momenti in nostra materia. Sequitur nimirum quod nullo modo licet concedere homini libertatem conscientiae et simul quovis modo ei denegare liberum exercitium religionis. Utraque libertas in eadem instantia datur, ita ut nexus inter eas sit omnino indissolubilis. Libertas interna personalis et libertas externa socialis sunt aequae originales; sunt coaequales atque coordinatae; et simul sumptae aequali titulo pertinent ad dignitatem et integritatem personae humanae ...¹.

His dictis, libenter consentio cum exc.mo relatore, qui in relatione sua (in pag. 6 ...²), proponit emendationem in n. 26 declarationis ...³. Nempe quod loco « Inde exoritur » legatur « cum quo connectitur », vel aliquid simile, ad melius declarandum, quod liberum exercitium religionis inseparabile est a libertate conscientiae.

Accedit quod, si clare docetur, liberum exercitium religionis non esse illationem quamdam logicam a libertate conscientiae, clarius etiam patebit responsum obiectioni, quae contra doctrinam declarationis facta



est. Secundum hanc obiectionem doctrina de iure ad liberum exercitium religionis involvit transitum seu illationem illegitimam ab ordine subiectivo conscientiae ad ordinem obiectivum iurium. De facto tamen nullatenus fit eiusmodi illatio. E contra, pervenitur ad verum conceptum libertatis religiosae, ut qui duo elementa inseparabiliter continet, internum et externum, non per illationem a iuribus conscientiae ad iura socialia religiosa, sed per simplicem analysim ipsius personae humanae, quae est unum subiectum unius iuris, quod quidem ius ad duo simul spectat, nempe ad libertatem conscientiae et ad liberum exercitium religionis.

Altera nunc quaestio est de libertate religiosa, in quantum dicitur verum strictumque ius. Iamvero nomine iuris venit facultas quaedam moralis. *Eiusdem*⁴ autem facultas moralis duplex esse potest. Est enim facultas moralis aliquid agendi, et est facultas moralis exigendi, ne actio ab aliis impediatur. Haec affirmat immunitatem in agendo; illa affirmat mandatum positivum ad agendum. Nunc autem in nostra materia oriretur confusio sine fine, si confunderentur hi duo sensus, quos complectitur notio iuris. Sensu suo technico hodierno, qui bene intelligitur a *peritis*, haec⁵ libertas religiosa est verum ius, eo sensu quod vera est immunitas iuridica a quavis coactione legali vel sociali in re religiosa. Hoc sensu hodierno proclamatur in declaratione ius omnium hominum et omnium ecclesiarum ad libertatem religiosam in societate. Hac autem proclamatione, nullatenus proclamamus, quod omnes homines omnesque ecclesiae idem habent a Deo...⁶ mandatum positivum ad suam doctrinam suumque cultum spargendum. Hoc utique esset, indifferentissimum religiosum amplecti. Qui autem hanc declarationem *de libertate religiosa* ita legit, ut in ea inveniat saporem indifferentismi, iam confessus est, se nullo modo intelligere, de quam re agatur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Ideoque quivis conatus ad separandas has duas libertates esset quoddam genus Kantianismi. Esset nimirum separatio ordinis iuridici socialis ab ordine morali personali. Quod in vera philosophia catholica anathema est. ² linn. 10-13. ³ in pag. 29, lin. 9. ⁴ Eiusmodi. ⁵ perita multitudine. ⁶ Optimo Maximo.



EXC.MUS P. D. PETRUS ANTONIUS NIERMAN
Episcopus Groningensis

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae et aliquorum episcoporum ex Indonesia relate ad declarationem *de libertate religiosa* sequentia in aula proferre velim:

Valde laudanda mihi videtur ista declaratio, eo quod solemniter et manifeste proclamat ius ad libertatem religiosam quod competit hominibus sive singulis sive coadunatis in coetibus religiosis.

Quae principia in praxim Ecclesiae deducenda sunt. Illud enim ius respicit etiam relationes Ecclesiae internas, nempe inter catholicos inter se et inter auctoritatem ecclesiasticam eiusque subditos, necnon relationes cum acatholicis.

Ita recte quidem declaratur « nullum hominem nec ullam potestatem humanam ius habere aliquem inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen » ...¹, id quod valet etiam de lege divina; recte etiam in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* ...² proclamatur parentum ius educandi in sacra religione secundum propriae conscientiae praecepta omnino in tuto ponendum esse. Realis dilaceratio seu scissura inter communionem christianam effectum suum sortitur in matrimoniis mixtis, quae sub respectu religionis reapse *mixta* sunt.

Nonne exinde officium est Ecclesiae, proclamantis declarationem *de libertate religiosa*, in legibus canonicis de matrimonio mixto curare non tantum de iuribus conscientiae partis catholicae, sed de iisdem iuribus partis acatholicae?

Proinde speramus, quod Sacrum Concilium mandet ut Pontificia Commissio, quae Codicem Iuris Canonici reformandum curabit, principia huius declarationis applicet in renovando ac huic temporis adaptando universam disciplinam ecclesiasticam.

Valde optandum est, ut ista declaratio, quam totus mundus exspectat, authentice translata in potiores linguas hodiernas distribuatur.

Cum enim quidam textus ansam praebeant ambiguitati, liceat mihi quasdam emendationes proferre quas in scriptis secretariatus generali proponam. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (pag. 31, n. 29, linn. 18-20). ² (pag. 23, n. 21, linn. 18-19).

*Emendationes additae:*

1. Pag. 30, n. 28, linn. 23-24: circumlocutio « sine animi reprehensione » videtur corrigenda, quia non rectam latinam sapit.
2. Pag. 33, n. 31, lin. 23: circumlocutio « hodie ut cum maxime » videtur nimis intricata.

15

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ

*Episcopus Auriensis**Em.mi ac exc.mi Patres conciliares,*

Commissio quae adparavit declarationem priorem *de libertate religiosa* conatus ingentes effecit ut nobis offerret documentum conciliare, in quo ratio haberetur mentalitatis hodiernae et adspirationum nostri temporis. Simul etiam doctrinam Ecclesiae fideliter servare contendit. Hi conatus respondent certe scopo oecumenico Concilii et in specie schematis. Talis finis et intentio omni laude digna habenda est.

Circa ipsum schema tamen aliquas animadversiones, venia vestra, facere vellem. Scriptum totum unus cogitatus pervadere videtur, nempe omnes coetus religiosi et religiones ex natura sua publice et coram societate eadem iura habent et eadem existimatione sociali sunt digna.

Liceat mihi humiliter opinari et sincere proferre assertum hoc haud facile cum doctrina Concilii Vaticani I et cum ipsa revelatione componi posse. Concilium Vaticanum I in sess. III, cap. III *de Fide* docuit: « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita ». Et paulo inferius pergit: « Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; etc. ».

Ex Concilio Vaticano I constare videtur Ecclesiam catholicam et tantum Ecclesiam catholicam signa externa praebere mundo suae veritatis « ut ab omnibus posset agnosci » (sunt verba ipsius). Et hoc ideo fecit et facit Deus ut, sua gratia adiuti, possent omnes rationabiliter ad eam pervenire vel saltem omnes se sentiant invitatos ad seriam considerationem de ipsius veritate.



Rebus sic stantibus, si coram his signis a Deo datis de sua locutione, Christus externe et publice, etiam apud illos quibus de sua locutione satis constat, in eadem existimatione habetur in re religiosa ac quilibet visionarius vel privata conscientia, non possum non videre contemptum publicum Christi et iniustitiam societatis quae in eadem linea et existimatione collocat Deum loquentem signis aptissimis ad dignoscendum et suae revelationis argumenta praebentem, et rationem privatam vel conscientiam cuiuslibet fidelis.

Et licet civilis potestatis non sit relationes civium cum Creatore in nostro ordine supernaturali moderari, tamen potest illas tueri, si ab Ecclesia arcessitur. Ad quod satis est ut veritatem catholicismi agnoscat, quod iudicium in populis catholicis sicut de moralitate vel honestate publica vel de aliis huiusmodi certe facere potest. De capacitate civilis potestatis ad ea iudicia generalia ferenda satis clare locutus est Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei* et *Libertas*.

Sacras litteras Veteris Testamenti inspicientes nobis cognoscere fas est Deum suam voluntatem manifestasse populo iudaico de religione profitenda et cultu. Nec satis. Per suos prophetas maximo zelo exigebat ut puritas doctrinae et cultus sancte conservaretur. Quod ut rationaliter efficeretur miracula patrabantur et signa fiebant ut populus etiam externe in religione revelata fidelis permaneret.

Quo iure putamus quod Deus de religione christiana non habeat eandem saltem voluntatem ubi est certo cognitus et cognita sua locutio? Nam pariter signa publica dat, ut vidimus. Non tantum Christus sed et Ecclesia potest dicere: si mihi non vultis credere, operibus credite. In sinu etiam Ecclesiae, ut Iesus promiserat, miracula magna fiunt, et pro ipsa alia luculentissima sunt argumenta.

Brevitatis causa ad conclusionem perveniamus. In schemate *de libertate religiosa* efformando haec videntur tenenda, quae in praesenti non sunt sufficienter considerata, ut putamus:

1. Quando de religione agitur Deus est exaudiendus, si signa suae locutionis affert, potius quam quilibet homo vel privata conscientia. Quod et pro individuo et pro societate dicendum videtur, ne in negotio religioso Deus homini subiciatur vel ei aequiparetur.

2. Non debet gratis supponi evolutionem in doctrina hac Ecclesiae vel melius mutationem, sed iisdem principiis manentibus diiudicandum est, ut iam satis innuerat Pius XII, utrum adiuncta externa commendent maiorem quamdam libertatem concedere.

3. Quia ex una parte Deus qui se manifestavit certo est prae primis exaudiendus, et ex alia parte homo debet religionem profiteri iuxta dictamen suae conscientiae, audemus hanc propositionem efformare, in

qua utraque veritas apte componatur: Ubi veritas catholica populo Dei sit manifesta et eam profiteantur fere omnes subditi nationis, Ecclesia, conventionem factam cum potestate civili, securitatem obtinebit ut individua et coetus libertatem habeant Deum colendi iuxta dictamen suae conscientiae rectum, vitatis tamen illis manifestationibus publicis quae sensus fidelium merito laedunt et proselytismo. Si tamen bono summo animarum, concessio maioris libertatis expedierit, ad supremam auctoritatem Ecclesiae pertinet determinare in unoquoque casu, omnibus rite perpensis, quanta libertas sit a catholicis in nationibus catholicis concedenda. Gratias. Dixi.

Textus scripto traditus:

Labor commissionis maximae laudis dignus est existimandus, propter ingentes conatus doctrinam Ecclesiae attemperandi nostris temporibus et adiunctis. Spiritus oecumenicus et voluntas recte interpretandi mentem Ecclesiae agnoscenda est. In his quae postea dicemus, enixe rogamus, quod haec nostra mens consideretur, pro recta eorum intelligentia.

Potest affirmari in toto schemate latere hanc doctrinam, quae fundat diversas conclusiones: *Omnes religiones sive coetus religiosi publice et coram societate habere debent eadem iura, ex natura rei.* (Privatim, utique, particulares veram religionem quaerere et profiteri debent, si eam inveniunt).

Liceat asserere talem indifferentismum socialem et publicum non facile componi cum revelatione.

Etenim audiamus Concilium Vatican. I: « *Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira sunt divinitus disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* » (DENZ.SCHÖN. 3013). Et prosequitur: « *Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat...* ». Et paulo inferius addit: « *Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur...* » (DENZ.-SCHÖN. 3014). Similia edocentur a Leone XIII in Enc. *Immortale*, n. 4, et *Libertas*, n. 5.

Ex Concilio Vaticano I satis constat catholicismum sese hominibus praesentare signis externis publicis, ex natura sua aptis, ut omnes per illa dignoscere possint esse veram religionem a Deo revelatam, quae signa nullus alius coetus religiosus exhibere potest. Proinde est fundamentum obiectivum, etiam coram non credentibus, ut dicit Concilium, seu facta externa publica propter quae ipsa specialem mereatur existimationem, prouti saltem indicia vehementissima praebet omnibus, per illa facta Deum hominibus suam voluntatem forte patefacere. Ita e. g., tot tantaque miracula in sinu Ecclesiae patrata. Per illa Deus loquitur signis aptissimis.



Si in eadem linea publice et socialiter omnes religiones constituuntur, eadem existimatio conceditur in re religiosa Deo et cuilibet homini visionario, quod minime rectum putandum esse videtur. Maxime si de religione revelata agatur, nam quam Deus locutus fuerit, et velit omnes homines ad hanc veritatem venire, credendum est signa dare, quae nullus alius dare potest.

E contra in schemate ratio individualis adeo extollitur in problemate religioso, quod vox Dei, prouti introducens aliquam religionem ab omnibus profitendam, penitus ignoretur, publice et socialiter subiiciatur rationi individuali, quae tamen de se non habet valorem nisi pro ipso individuo.

Hae animadversiones in doctrina Ecclesiae innixae, et in recta ratione, ut putamus, possunt confirmari Sacris Litteris.

Sacra Scriptura V. T. in suo complexu considerata populo Dei manifestat suam voluntatem divinam circa religionem profitendam, quo patefit ex Deo praeprimis et non ex homine procedere determinatio cultus et religionis. Per suos Prophetas maximo zelo urget et exigit ut puritas religionis et cultus conservetur. Et licet hoc tantum ad populum iudaicum pertineat, tamen recte eruere licet, quod si Deus loquitur, illis quibus loquitur signis aptis ad discernendum, Ille super omnes exaudiendus est, nec sine aliquo contemptu potest externe et publice necessario subiici rationi individuali, et falsis prophetis aequiparari.

Iam vero, Christus et catholica Ecclesia locutus est et loquitur nunc, ut diximus, hominibus modo externo et publico quo ab omnibus dignosci de se possit, circa veram religionem revelatam, officium est hominibus ut ipsa speciatim exaudiatur. Ecclesia, ut Christus dicit: Si mihi non vultis credere operibus credite. Haec opera externa et publica sunt miracula et notae, signa aptissima quibus *illa sola* mundo praesentatur. Quibus signis omnibus invitat ut ad illam veniant. Hoc singulare est Ecclesiae catholicae. Iniustum foret illam omnibus aliis aequiparare, sicuti Deus loquens et visionarius quidam non possunt eadem existimationem in societate mereri.

Primo intuitu his opponi videntur verba Ioannis XXIII in Enc. *Pacem in terris*: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ».

Ad haec verba Romani Pontificis dicendum est, esse intelligenda de libertate coram potestate civili, seu quod auctoritas civilis de se non habet facultatem se immiscendi in cultu ordinando, et propter rationes politicas vel temporales non potest vim inferre conscientis in professione religionis. Propterea adducit testimonium Leonis XIII, qui de hoc agit. Tamen iste Papa in hoc documento non aequalitatem omnium religionum in societate docet, sed doctrinam traditionalem tolerantiae religionis non verae.

Inde postea docet quod Deus et prima veritas sunt fontes bonitatis, quae magis ab aeterna lege, quam a ratione humana pendet. Iura diversa sunt apte componenda.

Brevitatis gratia ad conclusiones pervenio:

1) In re religiosa primo Deus est audiendus, si clare locutus est. Iniuriosum Deo videtur publice et socialiter Deum loquentem rationi individuali subiici, vel aliis hominibus aequiparari, inter illos quibus innotuit sua locutio et voluntas.

2) Quia schema totum est inspiratum in doctrina aequalitatis omnium religionum in societate, venia omnium peto quod reficiatur vel funditus emendetur.



3) Si ob bonum commune Ecclesiae expedit maiorem libertatem concedere in re religiosa, in hoc oportet innitere determinationes Ecclesiae, ut iam innuerat Pius XII, sed non in principiis falsis, quae humanismum reiiciendum sapiunt, id est hominem considerare ut norma suprema et radix iurium in cultu Deo reddendo.

16

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ

*Episcopus Lodzensis**Venerabiles Fratres,*

*Loquor nomine episcoporum Poloniae.*¹ In ultima, iam emendata recensione declarationis *de libertate religiosa* in primis agitur de libertate in relatione ad hominem. Quam in ultimam quaestionem maxima dirigitur nostra attentio. Videtur tamen necesse prae argumento ponere subtiliorem definitionem iuris ad libertatem hominis in genere, de qua dicit alius episcoporum Poloniae relator.

Principium libertatis fundatur non solum in voluntate Dei, sed etiam in rationali natura hominis, qui est creatus liber. Tali quidem actu creationis Deus, ut ita dicam, manus sibi alligavit, cum absque libero hominis arbitrio non possit hominem salvare. Ita enim evidens fit magna dignitas hominis in similitudinem imaginem divinamque creati.

Quod inde consequitur:

1. Quilibet homo, iudicium suae rationis seu conscientiae sequens, habet ius nativum confiteri religionem, quam sibi libere elegit.

2. Quilibet homo habet quoque ius ad religionem suam propagandam, dummodo mediis illicitis non utatur.

3. Exinde sequitur quod aestimanda sit religio cuiuslibet hominis. Homo tamen, pro sua parte, possibilitatem erroris admittens, debet studere, in certis casibus, sententiam suam corrigere, tamquam criterium veritatem habens.

In mea relatione ante omnia de libertate religiosa dicam, quam invenimus in ordine sociali, in quo singuli homines vitam agunt. Etenim:

1. Pro principio tenens ius hominis ad Deum libere et conscie colendum esse, nulla potestas humana potest interdicerere, ne homo religionem suam in privato vel in publico profiteatur, neque potest illi vi vel dolo alium conceptum philosophico-religiosum mundi inferre. Principium illud: cuius regio eius religio, penitus reiiciendum est. Quaecumque persecutio, causa religionis facta, censenda est prout iuris praecipui violatio. Si hodiernas Statuum constitutiones animadvertimus, illae,

etiamsi non semper in praxi, in theoria hoc *tamen*² ius observant. Immo etiam in constitutionibus Statuum, qui atheismo favent, paragraphus quaedam conspiciuntur, quae libertatem religiosam concivibus vindicant. Haec pariter resonant in tenore Universalis Declarationis Iuris Hominis, acceptae a conventu generali Nationum Unitarum ...³.

Praeter id praecipuum ius et varias declarationes, in praxi pro dolor, aliud et aliud contingit. Proinde pugna pro defendenda libertate religiosa unius hominis est pugna omnium hominum, tamquam principium dignitatis personae necnon eius progressus. Praeterea ius et lex in eo principio sane inniti debent. *Et*⁴ solaque Statuum decreta sunt observanda, quae in quattuor principiis omnibus praenotis, fundantur, scil. quod iustum, honestum, utile et possibile sit.

2. Alterum principium libertatis generatim sumptae et maxime quod ad libertatem religiosam attinet, ponitur iustitia, quae singulos, societatem atque etiam status obligat. Igitur contra iustitiam ageretur, si status atheismo imbutus actioni adversus religionem intentae faveret atque eam, scil. religionem, divulgare et defendere prohiberet vel impediret.

Pugna contra religionem, si forsitan accideret, et religionis apologia semper debent inniti in veris non fictis vel detortis et maxime falsis factis et argumentis. Ea his postulatur honestas, quae in omni re controversa exiguntur.

3. Habitudo inter societatem et individuum et vice versa insistere oportet, ut recte scripsit Papa Ioannes XXIII in suis Litteris Encyclicis *Pacem in terris*, in principio morali, nempe in veritate, in iustitia, in necessitudine *hominis*,⁵ in libertate simul et caritate. Et hic latissime manat libertatis industria, secundum illud: in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.

4. Ultimum, quamvis non parvi ponderis, fundamentum libertatis religiosae desumitur, uti praxis nobis ostendit, ex progressu hominum et populorum, qui in libertate perficiuntur, in servitute autem nani fiunt. Ipsa enim cultura sine Deo et sine iuris divini observantia anti-humana sese ostendit.

5. Libertas religiosa homines quoque docet rectam tolerantiam persuasionis alterius hominis, observata tolerantia hominis, non autem mali tolerantia vel erroris.

Patet diligenter animadvertendum esse, ne libertas religiosa abutatur. Hoc quidem accidit, cum non tam ipsa religio, quamvis diversae sint, quam ipsi confessores, qui in propaganda religione malis mediis uti possunt. Possunt etiam praesertim qui vitam praeceptis religionis suae agunt contrariam religionem valore proprio privare apud homines, qui



iudicio critico carent. Libertas non plene et accurate considerata valet indifferentismum augere. Remedium huic defectui libertatis religiosae praebet conscientia qua homo, a Deo creatus atque ad vitam aeternam praedestinatus, libere et conscie se voluntati divinae subicit, necnon iuri divino, quod est aeternum, obiectivum, absolutum et universale.

Religio quidem christiana libertatem hominis plene et integre servat subiciendo illam superioribus legibus Dei et naturae.

Ex supra dictis patet conclusio: recta conceptio libertatis religiosae optimum praebet elementum efficiens rectas relationes individui ad individuum, individui ad coetus sociales, Status necnon omnes homines. Libertas quoque religiosa limitans quidem potestates Statuum fovet eorum auctoritati afferens incrementum culturae humanitatisque gentium. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ Nostra interest sequentem affirmationem ex art. 18 desumptam, recitare: « Quaelibet persona humana habet ius ad libertatem suae mentis, conscientiae et religionis. Quod ius libertatem statuit tum religionis amplexae et persuasionis, tum etiam libertatem ea manifestandi: ut singuli homines vel in societate in publico vel in privato in docendo, religionis ac pietatis officia, cultum et ritus exercendo ». ⁴ ea. ⁵ hominum.

17

Exc.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Venerati Patres,

Declaratio *de libertate religiosa* in genere placet, etiamsi perfectione ulteriore ornanda est et alia alta principia servanda sunt.

Nimis tamen philosophica et iuridica, multo magis poni deberet in solidis fundamentis... religiosis, Concilio plene dignis.

I - Imprimis, in fundamentis patristicis. E. g.: S. Augustinus, « *honorabili fratri Maximino* », qui erat donatista, scribit: « Cur “ honorabili ”? Quia “ novi te esse *hominem*, et in honore positum *ipso ordine et iure naturae* ” » ...¹.

In hoc loco, tamen, homo ut solus consideratur. Sed alii, similiter donatistae, scribit: « quid in te honorare non dubitem, facile intelligis: *ante omnia*, quod *ipsius nobis humanae societatis vinculo* astringeris » ...². Hac vice, hominem *ut hominem* praeterimus: eumdem ut *membrum generis humani* attingimus.

II - Hae rationes simpliciter naturales manent. Sancta Scriptura eas multo magis superare sinit.

...³ *Pater Noster* dat, in sua Providentia, magnitudinis animi suprema exempla. Etenim, ut asserit Dominus Noster, « qui in caelis est, solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos » ...⁴. Idem Deus, dicit S. Paulus in Areopago, « Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia; fecitque omne genus hominum quaerere Deum ...⁵ ».

2. *Iesus Christus* Ecclesiae suae dilectionem et pacem commendavit ...⁶.

Sed etiam libertatem religiosam, secundum sensus huius vocabuli diversos, Ipse Iesus commendavit.

a) Duo praecipui textus videntur « similitudines, et de zizaniis usque ad tempus messis in unitate agri ...⁷ et de malis piscibus usque ad tempus littoris intra eadem retia » posita ...⁸ Duo textus primo ad peccatores pertinent (qui sunt *in* Ecclesia); sed etiam, secundum S. Augustinum, ad eos qui « *Ecclesiae deserunt unitatem* » ...⁹. Eodem modo Papa Pius XII, in allocutione inlyta, primum textum accommodabat simul ad errorem et peccatum. « L'errore e il peccato si trovano nel mondo. Iddio li riprova; eppure, li lascia esistere. Per omettere qui altri testi della Scrittura, Cristo, nella parabola della zizzania, diede il seguente ammonimento: "Lasciate etc." » ...¹⁰. Haec enim similitudo plenum sensum habet ex quo servi, seduli, zizaniam colligere volebant. Sed paterfamilias, qui est Ipse Deus, ait illis: « Sinite utraque crescere usque ad messem » ...¹¹.

b) Alia vice, Magister de se dixit « Ego sum via »; sed, scribit Augustinus, commemorans Psalmistam ...¹², « universae viae Domini misericordia et veritas ». Inde, in casu quo pagani erga christianos duri fuerant, concludit: Non « nocentes volumus ad dignum supplicium pervenire, prohibente nos illa misericordia quam in Christo cum veritate diligimus » ...¹³.

c) In sua Passione, Iesus non aliter agit: Petrus gladio percutit servum. Tunc Iesus ait: « Convertite gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? » ...¹⁴.

d) Denique, angelo Laodiciae Ecclesiae dicit: Ecce *sto ad ostium*, et pulso; *si* quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum » ...¹⁵. Iesus qui fuit Ipse liber in redemptionis usque ad crucem acceptione, homines sinit etiam liberos in acceptione salutis et gratiae.

3. Hi textus *de Iesu loquuntur*. De Iesu, qui est Exemplar nostrum. Sed in Concilio pastorali, eminenter conveniunt insuper aliqua verba Magistri nostri, *dicta eius apostolis, etiam ceteris qui eum audiebant*: « Vos estis sal terrae... Vos estis lux mundi » ...¹⁶ Omnes igitur, in suis relationibus cum aliis et in socialibus officiis, cum Christo et in Christo Ipso, qui est lux mundi, debent esse, animabus, ut sunt sal et lux, corporibus. Uterque sane « activi » sunt, immo « penetrantes ». Sed homo hunc salem longe a se ponere potest et ante hanc lucem obducere vela. Modus Christi est suavis, non cogens. Modi apostolorum et christianorum iidem esse debent ...¹⁷.

In notis nostrae declarationis, commemorantur aliqua verba S. Augustini. Alia pulchriora sunt. Ex *aliis aliqua*¹⁸ meam conclusionem facient.

*Illustris*¹⁹ doctor africanus proponit donatistae discussiones contradictorias, sed pacificas, militibus absentibus, « ut omnes qui nos audiant intelligant non hoc esse propositi mei ut *inviti* homines ad cuiusquam communionem *cogantur*, sed ut *quietissime quaerentibus veritas innotescat*. Re agamus, *ratione* agamus, *divinarum Scripturarum auctoritatibus* agamus », ita ut veritas « per nostrum ministerium, Deo iuvante, manifestata, se amplectendam satis *ipsa persuadeat* » ...²⁰. Mirabile iter ad Deum!

Ecclesia, sicut Christus Bonus Pastor, bona est; sicut Typus suus Maria, mater est. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ (PL 33, 95; cf. 33, 654, 660). ² (PL 33, 129-130). ³ 1. a) *Deus* hunc hominem, i. e. quemlibet hominem, ad imaginem et similitudinem suam fecit (*Gen.* 1, 27; *Sap.* 2, 23; *Eccli.* 17, 1; cf. PL 33, 95). b). ⁴ (*Mt.* 5, 45; cf. S. AUG., *Ep.* 153 § 3 et 7, PL 33, 654-655). ⁵ si forte attraherent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » (*Act.* 17, 24-27). ⁶ dilexit nos i. e. omnes homines, usque ad crucis opprobrium, et nobis i. e. omnibus hominibus, pacem suam reliquit (*Io.* 14, 27; PL 33, 129-130). ⁷ (*Mt.* 13, 24-43). ⁸ (*ibid.* 47-50; PL 33, 411). ⁹ (PL 33, 412). ¹⁰ (*Acta*, 1953, 799). ¹¹ (*Mt.* 13, 28-30). ¹² (24, 10). ¹³ (PL 33, 395). ¹⁴ (*Mt.* 26, 51-53; *Io.* 18, 10). ¹⁵ (*Ap.* 3, 20). ¹⁶ (*Mt.* 5, 13-14; cf. *Mc.* 4, 21-22; 9, 50; *Lc.* 8, 16-17; 14, 34). ¹⁷ Quod ad paganos pertinet, « qui foris sunt, dicit S. Paulus ad Corinthios (*1 Cor.* 5, 10-13), Deus iudicabit ». *Deus*, non alii. De desideriis et aliqua animadversione, cf. animadversiones ad secretariatum generalem a me missas die 28-8-64, pag. 5 et 6. ¹⁸ eis, alia memoriam renovant conversationum Ioannis XXIII et Pauli VI cum honorabilibus Observatoribus. Alia. ¹⁹ Mirabilis. ²⁰ (PL 33, 98 et 132)



EXC.MUS P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA

Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Venerabiles Patres,

Libenter adhaereo sapienter dictis ab exc.mo Parente. Et quasdam animadversiones facere intendo circa ius propagationis religiosae prout in n. 30 declarationis proponitur.¹

Notandum est quaestionem sub duplici adpectu considerari posse: sub adpectu doctrinali et sub adpectu practico.

a) *Sub adpectu doctrinali*, scil.: Estne cunctis coetibus religiosae strictum ius doctrinas proprias religiosas, sive veras sive falsas, spargendi?

b) *Sub adpectu practico*, scil.: Expeditne ut, ob rationes boni communis, a legitima auctoritate perpendendas, cunctis coetibus religiosae permittatur praedicatio propriarum doctrinarum?

Circa adpectum practicum a iudicando abstinemus; circa tamen adpectum doctrinalem quasdam anxietates exponere liceat:

1. Ius ad propagationem indiscriminatam veritatis et falsitatis religiosae est, ut minimum dicam, doctrina nova in Ecclesia. Doctrina traditionalis, ut omnes probe nostis, haec est: Ius pro veritate; pro errore tolerantia, si quando id exigat bonum commune.

Haec abunde continentur in Magisterio Ecclesiae ...².

2. Quidquid sit de lege continuitatis et progressus, ius propagationis erroris simul ac veritatis religiosae directe opponi videtur doctrinae Pii Papae XII.

Magnus Ille Pontifex in notissima Allocutione « Ci riesce » sine ulla ambiguitate loquitur: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna comunità di Stati ... possono dare un mandato positivo o una *positiva autorizzazione* d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità e al bene morale... Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione perché sarebbe in contraddizione con la Sua assoluta veridicità e santità » ...³.

Nunc vero, nostra declaratio videretur *positivam auctorizationem* (sit venia verbo) dare « docendi quod est contrarium veritati ». Etenim, quum veritas non in omnibus sed in una tantum Ecclesia inveniatur, agnoscendo omnibus coetibus ius propagandi doctrinas proprias, eo ipso positive auctoritatem faceremus divulgandi errores.

Attente ergo perpendamus consecraria: Si Deus, iuxta assertum

tanti Summi Pontificis, talia facere non potest, qua potestate nos id facere conabimur?

3. Declaratio, ut iam in aula denuntiatur, nullum discrimen statuens inter ordinem personalem conscientiae et ordinem actionis erga alios, in non leve periculum incidit ...⁴.

Animadvertere forte opus sit, in rebus humanis non leviter admitti propagationem errorum qui bono communi reputantur noxii, e. g. licetas suicidii. Cur ergo propagatio erroris religiosi tam leviter admitteretur? Fortasse errores religiosos non adeo perniciosos existimamus? *Aliter Leo XIII sentiebat*⁵: « Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri quam illatas per vim imbecillioribus iniurias » ...⁶.

Venerabiles Patres: in hac difficillima quaestione sequentia videntur proponenda ut communi sententia admissa:

a) Debet agnosci libertas religiosa. Haec, si de libertate pro vera religione intelligitur, ut verbis utar Leonis XIII, est « libertas vera, digna filiis Dei, humanae dignitatem personae honestissime tuetur, et est omni vi iniuriaque maior » ...⁷.

b) Fundamentum primum libertatis religiosae est « Officium, illudque maximum ac sanctissimum, quod homini incumbit colendi Deum »; ex quo consequitur *ut verbis utamur Leonis XIII*⁸ quod « homini, ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediante, in civitate liceat » ...⁹.

c) Quum tale officium homini mediante conscientia innotescat, partes amplae sunt agnoscendae conscientiae, quae quidem norma est proxima, sed *norma normata*, non independens *quidem*¹⁰ a Deo, nec a vero nec a bono.

d) Libertas religiosa in hodiernis adiunctis sedulo fovenda, vindicanda et, quantum ius sit, pro omnibus agnoscenda.

In stabiliendo autem fundamento theologico caute procedamus; immo liceat postulare ut, quantum opus sit, in fratrum auxilium secretariatus pro unione christianorum fovenda veniant vel alii periti vel ipsa commissio doctrinalis donec, viribus conlatis, formula reperitur principiorum theologorum pro subiecta materia plene sufficientium. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Admissis ultro quae admittenda, immo et laude digna sunt in declaratione *de libertate religiosa*, operae pretium ducimus quasdam animadversiones proponere. In n. 30, pag. 32, linn. 38-40 et pag. 33, linn. 1-3 declaratio talia enuntiat: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sinceræ honestæque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato ta-



men "proselytismo", quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum communitati adsocient». ² praesertim in Leone XIII (cf. e. g. Enc. *Libertas*) et in ipso Pio XII. ³ (*Ci riesce*, A.A.S., 45, 1953). ⁴ Semper ac de religione et conscientia sermo sit, prae oculis habere oportet ea quae a theologis admittuntur de iuribus conscientiae rectae. Quae iura sic breviter exponi possunt: a) Conscientia recta et vera ius habet absolutum et inviolabile; b) conscientia recta et falsa ius habet relativum et limitatum, in obiectiva necessitate correctionis et illustrationis; c) conscientia recta et erronea ius fundat ducendi vitam secundum conscientiam, non tamen fundat ius errorem suum spargendi. ⁵ Memores simus verborum Leonis XIII. ⁶ (Enc. *Libertas*). ⁷ (Enc. *Libertas*). ⁸ deest. ⁹ (Enc. *Libertas*). ¹⁰ deest.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.